

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCXXXIX.

S Etiamnum, Vir Reverende & charissime frater, exspecto, quis sit eventus actionis vestræ erga amplissimum Magistratum: Cum primis autem desidero consilii vestri rationes cognoscere, quas non dubito esse gravissimas & solidas, quæ mihi tutò committentur, modo per fidum aliquem accepero. Scripsit interea pluribus ad me, sed in Januario, D. Jacobus Andræ, & nuper ex cordatissimo viro, rerumque multarum peritissimo, cognovi, non adeo infeliter procedere pios conatus, de quibus tanto uberiorem spem etiam, in aliis Ecclesiis ad profectum foveo, modo mediocris aliqua moderatio obtineatur, substantia doctrinæ capitum per omnia salva. Nunc accipio, Studgardia laborare virum optimum & reverendum D. M. Balthasarum Bidenbachium gravi & periculoso morbo, & sicut die hodierna quidam nunciavit, etiam tentationibus turbari, ut sim in metu, ne melancholicis affectibus afficiatur, unde dolorem etiam graviolem traxi, cum constet, quam eximium sit DEI organum, & proinde piorum omnium votis supplicibus debeat Christo commendari, vero sospitatori. Arbitror autem, mox certa me inde habiturum per Richardum Dinotum, qui ex Heidelberga per Studgardiam ad nos se reverfurum promisit. Faxit Dominus JESUS, ut viri hujus præstantissimi opera, fide, dexteritate diutius frui Ecclesia possit. Bene valeat P. T. in Christo Jesu, cum uxore, totaque familia & presbyterio. Huldricum tuum etiamnum exspecto, ut nos visat. Salutant te reverenter Coccius & Fueglinus. Basileæ, prid. Calend. Majas, Anno 1578.

R. d. 1.

totus Sulcerus.



CCXXXIX.

Gratiam & salutem in Jesu Christo, Domino ac Salvatore nostro. Venerande ac humanissime D. Doctor.

Voluit præstantissimus virtute ac pietate vir, Sebastianus Bircnerus, qui filium ad vos præmisit, ipse etiam Argentinam ascendere, & quomodo res illic haberent, videre; præcipuè verò tuam H. compellare desiderat, eum de ea permultum ex me & aliis audierit. Est autem prætor urbis Mulhusanæ in Thuringia, de Ecclesia illa quam optimè meritis. Ipse enim cum paucis aliis primus petiit dare à Senatu Evangelicis templum ac Doctorem; quippe quod

Cccc 2

per

per univérſam urbem tunc papatus dominaretur. Et benedixit eorum zelo DEUS, in tantum, ut nunc ne unus quidem facrificulus aut monachus per totam urbem inveniatur. Ita ut mira per eum ac ſocios DEUS effecerit, & adhuc efficiat. Præterea omnium paſtorum & ſcholasticorum, ad multa miliaria, circum urbem, ut & in ipſa urbe, unicus eſt & indefeſſus patronus. Rogo igitur, ſi fieri poteſt per valetudinem, ut tua H. eum ad colloquium admittat, eumque hac in parte frui pietate ſua ſinat. M. Sebaſtianus ad nos venit talis, qualem exoptabamus, & gratiam habemus tuæ H. quod eum nobis miſerit, gratusque eſt doctor noſtris. De Concordia nos ſolū nihil adhuc vel videmus vel audimus. Superintendens Caſſilienſis, ſub Landgravio Guilhelmo, ſcripſit ad me hiſce nundinis, & quanquam multos ſubſcripiſſe dicit, tamen queritur, multos etiam multa in libro propoſito deſiderare, & propterea eos rectè recuſare ſubſcriptionem dicit: interque alia cum primis de omnipræſentia Chriſti in doctrinam cænæ inveſta, querelas textit: cui prolixè reſpondi, & poterit ejus reſponſi ſummam vobis commemorare M. Waltherus veſter, qui cum Domino Kenero utriusque epiſtolam legit in urbis noſtræ tranſitu. Norinbergenſes Theologi & politici ſunt homines valde mali. Oppoſuerunt libro ſcriptum, aulicum & mercatorium potius, quam Theologicum, & quidem tanquam re bene ac præclare geſta, tranſmiſerunt illud etiam ad noſtros, ut horum animos devincerent ſibi, ſociosque erroris ac pertinaciæ ſibi maturè conciliarent, omnia interim iſtica & Calviniſtica ſimul hinc ſtabiliunt. Accepi à Dn. Doctore Pappo exemplar diſputationis, ab ipſo apud vos habitæ, in qua certè egregiè tractat locum de corruptelis doctrinæ, ſectis que & hæreſibus damnandis. Intelligo, tuam H. ad Dominum Matthiam de hac concordia aliquid ſcripiſſe. Verum per negocia ſua ille me nondum convenit, & ego podagricus hiſce nundinis domi totus deliteſco. Non dubitabis autem, quin facturi ſimus officium pro viribus, ubi res id poſtulaverit, & contra omnium ſophiſticorum, mercatoriorum, aulicorumque ingeniorum ſpem & expectationem facturi, quod rei veritas & conſcientiæ noſtræ nos facere jubebunt. Valeat H. tua in Chriſto. Salutem dico dominæ, & filio L. Eraſmo, & omnibus veſtris. Francofurto, 28. Martii, Anno 78.

T. H. obſervantiſſ.

Petrus Patiens.

Inſcriptio:

Venerando viro, multa pietate, magna virtute, & admirando zelo domus DEI, præſentiſſimo: Domino Johanni Marbachio, ſæta Theologi Doctori, & ejusdem in Academia Argentinenſi Profeſſori præcipuo, Domino ac Præceptorii ſuo perpetua fide colendo.

CCXL.